

Super muros tuos Jerusalem constituti custodes: \* Totâ die & nocte non tacebunt laudare nomen Dômini. **Y.** Prædicabunt pópulus fortitudinem meam, & annuntiabunt Géntibus glóriam meam. Totâ.

## Lectio ij.

**P**ropterea hæc dicit Dôminus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem. Et ponam faciem meam in eos: de igne egredientur, & ignis consumet eos: & sciétis quia ego Dôminus, cum postero faciem meam in eos, & dederô terram in viam & desolatam: eò quod prævaricatores extiterint, dicit Dôminus Deus.

**Y.** Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dômine, & armis tuæ potentie prætege nos semper: **Libera** Dômine Deus Israël clamantes ad te. **Y.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da glóriam nomini tuo. **Libera** Dômine.

## Cap. 16.

**Lectio iij.** **E**t factus est sermo Dômini ad me, dicens: Fili hominis, notas fac Jerusalem abominations suas: & dices: Hæc dicit Dôminus Deus Jerusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in saltem, nec sale salita, nec involuta pannis. Non peperit super te oculus ut faceret tibi unum de his, miseris tui: sed projecta es super faciem terræ in abiectione anime tuæ, in die quæ nata es.

**Y.** Sustinuimus pacem, & non venit: quæsiuimus bona, & ecce turbatio: cognovimus Dômine peccata nostra: \* Non in perpetuum obliviscaris nos. **Y.** Peccavimus im-

pie gessimus, iniquitatem fecimus Dômine in omnem justitiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

## S A B B A T O.

De Ezechiele Propheta.

## Lectio j.

## Cap. 19.

**E**t tu assume planctum super principes Israël, & dices: Quare mater tua læna inter leones cubavit, in medio leuculorum enutrivit cãtulos suos? Et eduxit unum de leuculis suis, & leo factus est: & didicit capere prædam, hominè que comedere. Et audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis cepèrunt eum: & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. Quæ cum vidisset quoniam infirmata est, & perit expectatio ejus: tulit unum de leuculis suis, leonem constituit eum. Qui incedebat inter leones, & factus est leo: & didicit prædam capere, & homines devorare: Didicit viduas facere, & civitates eorum in deserto addicere: & desolata est terra, & plenitudo ejus à voce rugitus illius.

**Y.** Laudabilis pópulus, \* Quem Dôminus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël. **Y.** Beata gens cujus est Dôminus Deus, pópulus electus in hereditate. Quem.

## Lectio ij.

**E**t convenerunt adversus eum Gentes undique de provinciis, & expandèrunt super eum rete suum, in vulneribus eorum captus est. Et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babilonis: miseruntque eum in carcerem ne audiret vox ejus ultra super montes Israël. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus, & frondes ejus creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in scepra dominantium, & exalta-

ta

## DOMINICA II.

Novembris.

In primo Nocturno.  
De Ezechiele Propheta.

## Lectio j.

## Cap. 21.

**E**t factus est sermo Dômini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam ad Jerusalem, & stilla ad sanctuaria, & propheta contra humum Israël: Et dices terræ Israël: Hæc dicit Dôminus Deus: Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te justum & impium. Pro eo autem quod occidi in te justum & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem: Ut sciat omnis caro quia ego Dôminus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.

**Y.** Vidi Dôminus sedentem super solum excelsum & elevatum: & plena erat omnis terra majestate ejus: \* Et ea quæ sub ipso erant, replèbant templum. **Y.** Sèraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Et.

## Lectio ij.

**E**t tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis. Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis dices: Pro auditu: quia venit, & tabescet omne cor, & dissolvèntur univèrsæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta gêna fluent aque: ecce venit, & fiet, ait Dôminus Deus. Et factus est sermo Dômini ad me, dicens: Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dôminus Deus: Loquerè: Gladius, gladius exactus est, & limatus. Ut cædat victimas, exactus est: ut splendat, limatus est: qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. Et dedi eum ad levigandum ut teneatur manu: iste exactus

tus

ta est statûra ejus inter frondes: & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.

**Y.** Angustia mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. \* Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. **Y.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius.

## Lectio iij.

**E**t evulsa est in ira, in terramque projecta, & ventus urens siccavit fructum ejus: marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia, & sitièti. Et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit: & non fuit in ea virgula fortis, sceptrum dominantium. Plantus est, & erit in planctum.

**Y.** Misit Dôminus Angelum suum, & conclusit ora leonum: \* Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **Y.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Glória Patri. Et non.

## S A B B A T O

Ante Dominicam ij. Novembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Aspic Dômine, quia facta est desolata civitas plena divitiis: sedet in tristitia dômina Géntium: non est qui consolètur eam, nisi tu Deus noster.

Si Novembris habeat quinque Dominicas, tunc secunda Dominica leguntur sequentes Lectiones de Ezechiele: si vero habuerit tantum quatuor, Dominica secunda legetur liber Danielis positus in tertia Dominica: & Sabbato ad Magnificat, dicitur Antiphona Muro tuo. 335. & duabus sequentibus Dominicis leguntur I propheta minores.

tus est gladius, & iste limatus est, ut sit in manu interficientis.

**R.** Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: **¶** Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **Y.** Qui regis Israël intendit, qui dedúcis velut ovem Ioseph. **Aperi.**

**Lectio iij.**

**C**lama, & úlula fili hóminis, quia hic factus est in pópulo meo, hic in cunctis dicitibus Israël, qui fugerant: gládio traditi sunt cum pópulo meo, idcirco claude super femur, quia probatus est: & hoc, cum sceptrum subverterit, & non erit, dicit Dóminus Deus. Tu ergo fili hóminis prophéta, & pécute manu ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, & corde tabescere, & multiplicat ruinas.

**R.** Aspice Dómine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia dómnia Génitium: Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. **Y.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non.

**In secundo Nocturno.**

De Expositione Sancti Hierónymi Presbyteri in Ezechielem Prophétam.

*Líb. 7. in Ezech. cap. 21.*

**Lectio iv.**

**Q**uia supra dixerat, ipsi dicunt ad me: Numquid non per parabolas loquitur iste? & apertam pópulus flagitabat sententiam: idcirco id quod Dóminus per metaphoram, sive parabolam, & ut alii vertere, proverbium, est locutus, nunc manifestus loquitur: sicut Nageb, & Daron, & Theman esse Jerusalem, & templum illius, Sancta sanctorum, & omnem terram Judææ: flammamque que com-

bustura sit saltum, intelligi gladium devorantem, qui eductus sit de vagina sua, ut interficiat justum & impium. Hoc est enim lignum viride, & lignum aridum. Unde & Dóminus: Si in ligno, ait, viridi tanta faciunt, in sicco quid facient?

**R.** Super muros tuos Jerusalem consistit custodes: **¶** Totá die & nocte non tacébunt laudare nomen Dómini. **Y.** Prædicábunt pópulus fortitudinem meam, & annuntiábunt Génitibus glóriam meam. Totá die.

**Lectio v.**

**P**rimùm dixerat: Vaticanare, vel stilla ad Austrum, Africum, & Meridiem, & ad saltum Meridiánium. Quod quia videbatur obscurum, & dicta Prophète pópulus nesciebat, secundo ponitur manifestus, saltum Meridiánium esse Jerusalem: & omnes infructuosas arbores, ad quarum radices securis posita sit, intelligi habitatores ejus, gladiumque interpretari pro incendio. Tertio jubetur prophète, ut tacentibus illis, nec interrogantibus cur ista vaticinatus sit, faciat per que interrogetur, & respondeat que Dóminus locutus est.

**R.** Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dómine, & armis tue potentie prótege nos semper: **¶** Libera Dómine Deus Israël clamantes ad te. **Y.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.

**Lectio vj.**

**I**ngemisce, inquit, ejulare non levi voce, nec dolore moderato, sed in contritione lumborum: ut gemitus tuus ex imis visceribus & amaritudine animi proferatur. Et hoc facies coram eis, ut cum te interrogaverint, cur tanto gemitu conteraris, & quid tibi mali acciderit, ut sic ingemiscas; tu eis meo sermone respondeas: Idcirco plango, & dolorem cordis mei dissimulare non vá-

leo,

leo, quia auditus, qui semper meis auribus insonerat, opere completur, & venit, imminens videlicet Babilónii furentis exercitus, qui cum venerit, & vallaverit Jerusalem, tunc tabescet omne cor, & dissolvéntur universæ manus: ut occupante pavore mentes hóminum, nullus audeat repugnare.

**R.** Sustinimus pacem, & non venit, quæsumus bona, & ecce turbatio: cognovimus Dómine peccata nostra: **¶** Non in perpétuum obliviscaris nos. **Y.** Peccavimus, impié gessimus, iniquitatem fecimus Dómine in omnem justitiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

**R. vij.** Laudábilis pópulus, **¶** Quem Dóminus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël. **Y.** Beata gens cujus est Dóminus Deus, pópulus electus in hæreditatem. Quem.

**R. vij.** Duo Sêraphim clamabant alter ad alterum: **¶** Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: **¶** Plena est omnis terra glóriæ ejus. **Y.** Tres sunt qui testimónium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

**FERIA SECUNDA.**

De Ezechiele Propheta.

**Lectio i.** *Cap. 33.*

**E**t factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis loquere ad filios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cum induxero super eam gladium, & tulerit pópulus terræ virum unum de novissimis suis, & constituerit eum super se speculátorem: & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit pópulo: Audiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinæ, & non se observaverit, veneritque gladius. & tulerit eum: sanguis ipsius super caput ejus

erit. Sonum búccinæ audivit, & non se observavit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam salvabit.

**R.** Redemit pópulum suum, & liberavit eum: & venient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & oleo: **¶** Et ultra non esuriént. **Y.** Eritque anima eorum quasi hortus irriguus. Et ultra.

**Lectio ij.**

**Q**uod si speculátor viderit gladium venientem, & non insonerit búccinâ, & pópulus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculátoris requiram. Et tu fili hóminis, speculátorem dedi te dómui Israël: audiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

**R.** Angústia: mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. **¶** Mellius est mihi incidere in manus hóminum, quam derelinquere legem Dei mei. **Y.** Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras. Mellius est.

**Lectio iij.**

**S**i autem annuntiante te ad impium ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti. Tu ergo fili hóminis dic ad domum Israël: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: nolo mortem

im-

impit, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?

**R.** Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: \* Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me.

**V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Glória Patri. Et non.

## F E R I A T E R T I A .

De Ezechiële Propheta.

## Lectio i.

Cap. 34.

**E**T factum est verbum Domini ad me, dicens: Filii hominis propheta de pastoribus Israël: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israël, qui pascébant semetipso: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascébatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægròtum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quesistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.

**R.** A facie furoris tui Deus, conturbata est omnis terra: \* Sed miserere Domine, & ne facias consumptionem. **V.** Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! Sed miserere.

## Lectio ii.

**E**T dispersæ sunt oves meæ, eò quod non esset pastor: & factæ sunt in devoracionem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & universo colle excelsò: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat quiquireret, non erat, inquam, qui re-

quireret. Propterea postores audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus Deus: quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devoracionem omnium bestiarum agri, eò quod non esset pastor (neque enim quasiervunt pastores mei gregem meum: ) sed pascébant pastores semetipso, & greges meos non pascébant: propterea pastores audite verbum Domini.

**R.** Civitatem istam tu circumda Domine: & Angeli tui custodiant muros ejus: \* Exaudi Domine populum tuum cum misericordia. **V.** Avertatur furor tuus, Domine, à populo tuo, & à civitate sancta tua. Exaudi.

## Lectio iij.

**H**ÆC dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipso: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis, & caliginis.

**R.** Genti peccatrici, populo pleno peccato miserere. \* Domine Deus. **V.** Esto placabilis super nequitiam populi tui. Domine Deus. Glória Patri. Domine Deus.

## F E R I A Q U A R T A .

De Ezechiële Propheta.

## Lectio i.

Cap. 40.

**I**N vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas: in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illic.

In

In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum. Et introduxit me illic.

**R.** Indicabo tibi homo, quid sit bonum: aut quid Dominus requirat à te: \* Facere judicium & justitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. **V.** Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhàbita terram. Facere.

## Lectio ij.

**E**T ecce vir, ejus erat species quasi species aeris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus: stabat autem in porta. Et locutus est ad me idem vir: Filii hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendantur tibi addictus es huc: annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israël.

**R.** Angustia mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. \* Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei.

**V.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius.

## Lectio iij.

**E**T ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo: & mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam orientalem, & ascendit per gradus ejus: & mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine.

**R.** Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: \* Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eri-

puit de medio catulorum leonum.

Et non. Glória Patri. Et non.

## F E R I A Q U I N T A .

De Ezechiële Propheta.

## Lectio j.

Cap. 41.

**E**T introduxit me in templum, & mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: & latera portæ, quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos: & portam, sex cubitorum: & latitudinem portæ, septem cubitorum.

**R.** Vidi Dominum sedentem super solum excelsum & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus. \* Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. **V.** Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Et.

## Lectio ij.

**E**T mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem ejus viginti cubitorum, ante faciem templi: & dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum. Et mensus est parietem domus sex cubitorum: & latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem templi.

**R.** Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis, inclina Deus meus aurem tuam, & audi: \* Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **V.** Qui regis Israël intende, qui dedicisti velut ovem Joseph. Aperi oculos.

Les-

## Lectio ij.

**E**T platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, & in conaculum templi deferēbat per gyrum: idcirco latus erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio: & latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus.

**R.** Aspice Dómine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia dómina Géntium: Non est qui consolētur eam, nisi tu Deus noster. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non est.

FERIA SEXTA.

De Ezechiële Propheta.

## Lectio j.

Cap. 43.

**E**T duxit me ad portam, quæ respiciēbat ad viam Orientalem. Et ecce glória Dei Israël ingrediebatur per viam Orientalem: & vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat à maiestate ejus. Et vidi visionem, secundum speciem, quam videram, quando venit ut disperderet civitatem: & species secundum aspectum, quem videram juxta fluvium Chobar: & cecidi super faciem meam. Et majestas Dómini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciēbat ad Orientem. Et elevavit me spiritus: & introduxit me in atrium interiorius: & ecce repleta erat glória Dómini domus.

**R.** Super muros tuos Jerúsalem constitui custodes: **\* Totà die & nocte non tacebunt laudare nomen Dómini.** **V.** Prædicabunt pópulus fortitudinem meam, & annuntiabunt Géntibus glóriam meam. Totà.

## Lectio ij.

**E**T audivi loquentem ad me de domo, & vir qui stabat juxta me, dixit ad me: Fili hóminis, locus sólii mei, & locus vestigiórum pedum meórum, ubi hábito in medio filiórum Israël in ætérnum: & non polluent ultra domus Israël nomen sanctum meum, ipsi, & reges eórum, in fornicatiónis suis, & in ruinis regum suórum, & in excelsis. Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, & postes suos juxta postes meos, & murus erat inter me, & eos: & polluerunt nomen sanctum meum in abominatiónis, quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea.

**R.** Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ potentie prótege nos semper: **\* Libera Dómine Deus Israël clamantes ad te.** **V.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera Dómine.

## Lectio iij.

**N**unc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas regum suórum à me: & habitabo in medio eórum semper. Tu autem fili hóminis ostende dómum Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam: & erubescant ex ómnibus quæ fecerunt: Figuram domus, & fabricæ ejus éxitus, & intróitus, & omnem descriptionem ejus, & universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, & omnes leges ejus ostende eis, & scribes in óculis eórum: ut custodiant omnes descriptiones ejus, & præcepta illius, & faciant ea.

**R.** Sustinuimus pacem, & non venit: quesivimus bona, & ecce turbatio: cognovimus Dómine peccata nostra: **\* Non in perpétuum obliviscaris nos.** **V.** Peccavimus, impié gessimus, iniquitatem fecimus Dómi-

mine in omnem justitiam tuam. Non est. Glória Patri. Non est.

S A B B A T O.

De Ezechiële Propheta.

## Lectio j.

Cap. 47.

**E**T convertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciēbat ad Orientem: aquæ autem descendeant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & convertit me ad viam foras portam exterioriorem, viam quæ respiciēbat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro.

**R.** Laudabilis pópulus, **\* Quem Dóminus exercituum benedixit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, hæreditas mea Israël.** **V.** Beata gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus electus in hereditatem. Quem.

## Lectio ij.

**C**um egredieretur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam usque ad talos. Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad gēna: & mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.

**R.** Angustia mihi sunt undique, & quid éligam ignoro. **\* Melius est mihi incidere in manus hóminum, quam derelinquere legem Dei mei.** **V.** Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras. Melius.

## Lectio iij.

**E**T dixit ad me: Certè vidisti fili hóminis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis. Cùmque

me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad túmulos sábuli Orientalis, & descendent ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabunt aquæ. Et omnis anima vivens, quæ scrip- tit, quocúmque vénerit torrentis, vivet: & erunt pisces multi satis postquam vénerint illic aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent ómnia, ad quæ vénerit torrentis.

**R.** Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: **\* Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia invénta non est in me.** **V.** Misit Deus misericórdiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

S A B B A T O

Ante Dominicam iij. Novembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ potentie prótege nos semper.

D O M I N I C A I I I .

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Daniélis Propheta.

## Lectio j.

Cap. 1.

**A**nno tertio regni Joákim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsedit eam; & tradidit Dóminus in manu ejus Joákim regem Juda, & partem vasórum domus Dei: & asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vasa intulit in domum Thesauri dei sui. Et ait rex Asphenez præposito Eunuchórum ut introduceret de filiis Israël, & de semine régio & tyrannórum, pueros in quibus nulla esset macula, deceros formá, & eruditos omni sapientia cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis,

ut

ut doceret eos litteras, & linguam Chaldaeorum.

**R.** Vidi Dóminum sedentem super sólium excelsum, & elevatum, & plena erat omnis terra majestáte ejus:

**R.** Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. **V.** Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et ea.

**Lectio ij.**

**ET** constituit eis rex annónam per singulos dies de cibis suis, & de vino undè bibébat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspéctu regis. Fuérunt ergo inter eos de filiis Juda, Daniél, Ananias, Misaél, & Azarias. Et imposuit eis præpósitus eunuchórum nóminá, Daniéli, Baltássar: Ananías, Sidrach: Misaéli, Misach: & Azariæ, Abdnégo. Propósuit autem Daniél in corde suo ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potus ejus: & rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminárétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam & misericórdiam in conspéctu princípis eunuchórum.

**R.** Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aures tuas, & audi: **V.** Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. **V.** Qui regis Israël inténdet, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

**Lectio ij.**

**ET** ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Timeo ego dómimum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescéntibus corvís vestris, condemnábitis caput meum regi. Et dixit Daniél ad Málasar, quem constituerat princeps eunuchórum super Daniélem, Ananiam, Misaélem, & Azariam: Tenta nos óbsacro servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescéndum, & aqua ad bibéndum: &

contempláre vultus nostros, & vultus puerórum, qui vescúntur cibo régio: & sicut videris, facies cum servis tuis. Qui, audito sermóne hujuscémodi, tentávit eos diebus decem. Post dies autem decem apparuérunt vultus eórum meliôres & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescébántur cibo régio.

**R.** Aspice Dómine, quia facta est desoláta civitas plena divitiis: sedet in tristitia dómína Géntium: **V.** Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: Non est. Glória Patri. Non est.

**In secundo Nocturno.**

Ex libro Sancti Athanasii Episcopi ad Virgines.

*Lib. de Virginitate, post initium.*

**Lectio vj.**

**SI** accédant álquii, & dicant tibi: Ne frequénter jejúnos, ne imbecillior fias: ne credas illis, neque auscútes: per istos enim inimicus hæc suggerit. Reminiscere ejus quod scriptum est, quod cum tres pueri, & Daniél, & álii adolescéntiú captivi ducti essent à Nabuchodónosor rege Babylónis, jussúmque esset ut de ipsius mensa régia comédèrent, & de vino biberent, Daniél, & tres pueri illi noluerunt pollui ea mensa regis, sed dixerunt eunúcho, qui eos curándos suscéperat: Da nobis, de seminibus terræ, & vescémur. Quibus ait eunúchus: Timeo ego regem, qui constituit vobis cibum & potum, ne fortè facies vestræ appareant regi squalidiores præ cæteris pueris, qui régia mensa áluntur, & punita me.

**R.** Super muros tuos Jérusalem constitui custódes: **V.** Totá die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. **V.** Prædicábunt pópulus fortitudinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Torá.

**Lec.**

**Lectio v.**

**CU** dixérunt illi: Tenta servos tuos dies decem, & da nobis de seminibus. Et dedit eis legumina ad vescéndum, & aquam ab bibéndum: & introduxit eos in conspéctu regis, & visæ sunt facies ipsórum speciosiores præter cæteros pueros, qui régie mensæ cibis nutriebantur. Vidésne quid faciát jejúnium? Morbos sanat, destillatiónes corpóris exsiccat, demones fugat, pravas cogitatiónes expéllit, mentem clariórem reddit, cor mundum éfficit, corpus sanctificat, dénique ad thronum Dei hóminem sistit. Et ne putes hæc témere dici, habes hujus rei testimónium in Evangeliiis à Salvatore prolátum. Cum enim quasi-vissent discipuli, quonam modo immúdi spiritus ejiceréntur, respóndit Dóminus: Hoc genus non ejicitur, nisi in oratióne & jejúnió. **R.** Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: **V.** Libera Dómine Deus Israël clamántes ad te. **V.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.

**Lectio vj.**

**QU**isquis igitur ab immúdo spiritu vexátur, si hoc animadvertat, & hoc phármaco utáretur, jejúnió, inquam, statim spiritus malus opprèssus abscedet, vim jejúnií métuens. Valdè enim demones oblectántur crápulá & ebrietáte, & corpóris cómmodis. Magna vis in jejúnió, & magna ac præclára fiunt per illud: álloquí undè hómines tam mífica præstarent, & signa per eos fierent, & sanitátem infirmis per ipsos largirétur Deus, nisi planè ob exercitatiónes spirituales, & humilitátem animi, & conversatiónem bonam? Jejúnium enim Angelórum cibis est: & qui eo utitur, órdis angélicus censéndus est.

*Part. Æstiva.*

**R.** Sustinúimus pacem, & non venit: quævisimus bona, & ecce turbatio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: **V.** Non in perpétuo obliviscáris nos. **V.** Peccávimus, impié gessimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justitiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

**R.** vij. Laudábilis pópulus. **V.** Quem Dóminus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum meárum tu es, hæreditas mea Israël. **V.** Beata gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus electus in hereditátem. Quem Dóminus.

**R.** vij. Duo Séraphim clamábant alter ad alterum: **V.** Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: **V.** Plena est omnis terra glóriá ejus. **V.** Tres sunt qui testimónium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

**F E R I A S E C U N D A.**

De Daniéli Prophéta.

**Lectio j.** *Cap. 2. e*

**T**rex vidébas, & ecce quasi státua una grandis: státua illa magna, & státura sublimis stabat contra te, & intúitus ejus erat terribilis. Hujus státus caput ex auro óptimo erat, pectus autem & brachia de argénto, porrò venter fèrreæ, & femora ex are. Tibiæ autem fèrreæ, pedum quædam pars erant fèrreæ, quædam autem ficitilis. Vidébas ita, donec abscissus est lapis de monte sine máribus: & percussit státuam in pedibus ejus fèrreis & ficitilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt páriter ferrum, testa, æs, argéntum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ aræ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus invéntus est eis: lapis autem, qui percusserat státuam, factus est mons magnus, & implevit univérsam terram.

**Y**

**R.**

**R.** Redem̄it pópulo suum, & liberávit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: \* Et ultra non esuriént. **V.** Eritque ánima eórum quasi hortus irriguus. Et ultra.

## Lectio ij.

**H**oc est sónnium: interpretatióne quoque ejus dicemus coram te, rex. Tu rex regis es: & Deus cœli, regnum, & fortitudinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filii hóminum, & bestiae agri: vólucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditióne tua uníversa constituit, tu es ergo caput áureum. Et post te constituget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperábit uníversæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum. Quómódo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & cónteret omnia hæc.

**R.** Angustiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. \* Melius est mihi incidere in manus hóminum, quam derelinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras. Melius.

## Lectio iij.

**P**orrò quia vidisti pedem & digitorum partem teste figuli, & partem ferræam: regnum divisum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto. Et digitorum pedem ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit sólídum, & ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano sémine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnórum illórum, suscitábit Deus

cœli regnum, quod in ætérnum non dissipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminuet illius immutátus est super Sidrach, Misach, & Abdénago, & præcepit ut succenderétur fornax septuplum quam succendi consueverat.

**R.** Civitátem istam tu circúmda Dómine: & Angeli tui custodiánt muros ejus: \* Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. **V.** Avertá-tur furor tuus, Dómine, á pópulo tuo, & á civitáte sancta tua. Exáudi.

## Lectio iij.

**E**t confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vèstibus missi sunt in médium fornacis ignis ardéntis, nam jússio regis urgebát: fornax autem succensa erat nimis. Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdénago, interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdénago, ceciderunt in médio camino ignis ardéntis, colligati. Et ambulábant in médio flammæ laudántes Deum, & benedicéntes Dómino.

**R.** Genti peccatrici, pópulo pleno peccátó miserere, \* Dómine Deus. **V.** Esto placabilis super nequitiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine Deus.

## FERIA QUARTA.

De Danièle Prophéta.

## Lectio ij.

**R.** Espóndit Baltássar, & dixit: Dómine mi, sónnium his, qui te odérunt, & interpretatió ejus hóstibus tuis sit. Arborem, quam vidisti sublimem, atque robustam, cujus altitúdo pertingit ad cœlum, & aspéctus illius in omnem terram: & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca ómnium in ea, subter eam habitátes bestiae agri, & in ramis ejus commorántes aves cœli: Tu es rex, qui magnificátus es, & invaluisti: & magnitúdo

adórámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre: & aspéctus facièi illius immutátus est super Sidrach, Misach, & Abdénago, & præcepit ut succenderétur fornax septuplum quam succendi consueverat.

**R.** Indicábo tibi homo, quid sit bonum: aut quid Dóminus requirát à te: \* Facere judicium & justitiam, & sollicitum ambuláre cum Deo tuo. **V.** Spera in Dómino, & fac bonitatem, & inhábita terram. Facere.

## Lectio iij.

**Q**uod autem vidit rex vigilem, & sanctum descéndere de cœlo, & dicere: Succidite arborem, & dissipáte illam, attamen germen radicem ejus in terra dimittite, & vinciátur ferro & ære in herbis foris, & rore cœli conspérátur, & cum feris sit pábulum ejus, donec septem témpora muténtur super eum: Hæc est interpretatió sententiæ Altíssimi, que pervénit super dómnum meum regem: Eijcient te ab hominibus, & cum bestis ferisque erit habitatórium tua, & fœnum ut bos cõmedes, & rore cœli infundéris.

**R.** Angustiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. \* Melius est mihi incidere in manus hóminum, quam derelinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras. Melius.

## Lectio iij.

**S**eptem quoque témpora mutábuntur super te, donec scias quod dómínetur Excelsus super regnum hóminum, & cuiuscumque voluerit, det illud. Quod autem præcepit ut relinquerétur germen radicem ejus, id est arboris: regnum tuum tibi manébit, postquam cognóveris potestátem esse cœlestem. Quam ob rem rex consilium meum placeát tibi, & peccáta tua eleémósynis rédime, & iniquitátes tuas misericórdiis páuperum: forsitan ignoscet delictis tuis. Omnia hæc venérunt super Nabuchodónosor regem.

**R.** Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: \* Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Gloria Patri. Et non.

F E R I A Q U I N T A.  
De Danièle Propheta.

Lectio j. Cap. 5.

**B**altassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus ut affererentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex, & optimates ejus, uxoresque ejus, & concubinae. Tunc allata sunt vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem: & biberunt in eis rex, & optimates ejus, uxores & concubinae illius. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, aereos, ferreos, ligneosque & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulae regiae: & rex aspiciet articularum manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum.

**R.** Vidi Dominum sedentem super solum excelsum, & elevatum: & plena erat omnis terra majestate ejus: \* Et ea quæ sub ipso erant, replabant templum. **V.** Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Et ea.

Lectio ij.

**T**igitur introductus est Daniël coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniël de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus rex

de Judæa? Audivi de te quoniam spiritum deorum habeas: & scientia, intelligentiaque, ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. Et nunc ingressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc lægerent, & interpretationem ejus indicarent mihi: & nequiverunt sensum hujus sermonis edicere. Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissolvere: si ergo vales scripturam lægere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpurâ vestiëris, & torquem auream circa collum tuum habëbis, & tertius in regno meo princeps eris. Ad quæ respondens Daniël, ait coram rege: Mûnera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem ejus ostendam tibi.

**R.** Aspice Dômine de sede sancta tua, & cõgita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: \* Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **V.** Qui regis Israël, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

**H**æc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, & complèvit illud. Thecel: appensus es in statéra, & inventus es minus habens. Phares: divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Tunc jubente rege indutus est Daniël purpurâ, & circumdata est torques aurea collo ejus, & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. Eadem nocte interfecit eum Baltassar rex Chaldeus. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.

**R.** Aspice Dômine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, seder in tristitia dômina Gëntium: \* Non

est

est, qui consolètur eam, nisi tu Deus noster. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non est.

F E R I A S E X T A.

De Danièle Propheta.

Lectio j. Cap. 6. c.

**V**iri ergo illi curiosius inquirentes invenérunt Daniëlem orantem & obsecrantem Deum suum. Et accedentes locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis, & hominibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniël de filiis captivitatis Juda non curavit de lege tua, & de edicto, quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecrationem suam. Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est: & pro Danièle pòsuit cor ut liberaret eum, & usque ad occasum solis laborabat, ut erueret illum. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito, rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.

**R.** Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: \* Totâ die & nocte non tacèbit laudare nomen Dômini. **V.** Prædicabunt pòpulis fortitudinem meam, & annuntiabunt Gëntibus glóriam meam. Totâ.

Lectio ij.

**T**unc rex præcepit: & adduxerunt Daniëlem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Daniéli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. Allatusque est lapis unus, & pòsitus est super os

laci, quem obsignavit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Daniëlem. Et abiit rex in domum suam, & dormivit incoenatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit: appropinquansque lacui, Daniëlem voce lacrymabili inclamavit, & affatus est eum: Daniël serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putâsse valuit te liberare a leonibus? **R.** Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dômine, & armis tuæ potentiæ prætege nos semper: \* Libera Dômine Deus Israël clamantes ad te. **V.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da glóriam nòmini tuo. Libera.

Lectio iij.

**E**T Daniël regi respondens ait: Rex in ætèrnum vive: Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me: sed & coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavisus est super eum: & Daniëlem præcepit educi de lacu, & nulla lesio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. Jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Daniëlem: & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filii, & uxores eorum: & non pervenerunt usque ad pavimentum lacu, donec arripent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt. **R.** Sustinimus pacem, & non venit: quasivimus bona, & ecce turbatio: cognovimus Dômine peccata nostra: \* Non in perpepimus, imple gëssimus, iniquitatem fecimus Dômine in omnem justitiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

Y 3

SAB.

## S A B B A T O.

De Danièle Propheta.

## Lectio j.

**I**N anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldaeorum: Anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolatio Jerusaleum septuaginta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in jejuniis, sacco, & cinere. Et oravi Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam diligentiū tuam, & custodiens mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatis tuis, ac iudicis.

**R.** Laudabilis populus, \* Quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel. **V.** Beata gens, cuius est Dominus Deus, populus electus in hereditatem. Quem.

## Lectio ij.

**A**Dhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriël, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviate sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummaretur pravericatio, & finem accipiat peccatum, &

deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impletur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.

**R.** Angustiae mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius.

## Lectio iij.

**S**Cito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae erunt: & rursum aedificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

**R.** Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: \* Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Gloria Patri. Et non.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Qui caelorum continet thronum, & abyssos intueris, Domine Rex regum, montes ponderas, terram palmo concludis: exaudi nos Domine in gemitibus nostris.

DO-

## DOMINICA IV.

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Osée Prophetae.

## Lectio j.

**V**erbum Domini, quod factum est ad Osée filium Beeri, in diebus Oziae, Joathan, Achaz, Ezechiae regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. Principium loquendi Domino in Osée: & dixit Dominus ad Osée: Vade, sume tibi uxorem fornicatorium, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra ad Dominum. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

**R.** Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & plena erat omnis terra maiestate ejus: \* Et ea quae sub ipso erant, replerant templum. **V.** Seraphim stabant super illud: sex alae uni, & sex alae alteri. Et.

## Lectio ij.

**E**T dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, & quiescere faciam regnum domus Israel. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus Absque misericordia: quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivio obliviscar eorum. Et domui Juda miserabor, & salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

**R.** Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi. \* Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **V.** Qui regis Israel intendit, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

## Lectio iij.

**E**T ablactavit eam, quae erat absque misericordia. Et concepit, & peperit filium. Et dixit: Voca nomen ejus: Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quae sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis. Et congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter: & ponent sibi met caput unum, & ascendent de terra: quia magnus dies Jezrahel.

**R.** Aspice Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina gentium: \* Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus nostrer. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymae ejus in maxillis ejus. Non est. Gloria Patri. Non est.

## In secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei.

## Lectio iv.

Lib. 18. cap. 28.

**O**sée Propheta, quanto profundius quidem loquitur, tanto operosius penetratur. Sed aliquid inde sumendum est, & hic ex nostra promissione ponendum. Et erit, inquit, in loco quo dictum est eis: Non populus meus vos: vocabuntur & ipsi filii Dei vivi. Hoc testimonium propheticum de vocatione populi Gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apostoli intellexerunt.

**R.** Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: \* Totā die & nocte non tacetis laudare nomen Domini. **V.** Praedicabunt populus fortitudinem meam, & annuntiabunt Gentibus gloriam meam. Totā.

## Lectio v.

**E**T quia ipse quocumque populus Gentium spiritaliter est in filiis Abrahāe; ac per hoc recte dicitur

Y 4

15-